

Lorenz Bodock

**Palma Mecklenburgica Sive Serenissimus Ac Celsissimus Princeps Ac Dominus
Dn. Christianus, Dux Mecklenbvgicus ... Die Primo Decembris Anni MDCLVIII. ...
: Coram Magnifico Ac Splendissimo, Honoratissimorum Auditorum
Spectatorumqve Consessu, Cum magnâ Festivitate, ac Religiosô Musarum
Mecklenburgicarum concentu**

Rostochii: Typis Hæredum Nicolai Kilii, MDCLIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838759875>

Druck Freier  Zugang



Bodoick,
Palma Mecklenburgica.
(Georg Christian I. b. u. s.)
1658.

Mkl f I

1628-4°

Mtbl. f. I
1628 - 4^o

PALMA
MECKLENBURGICA

SIVE

SERENISSIMUS AC CELSISSIMUS
PRINCEPS AC DOMINUS

DN.

CHRISTIANUS,

DUX MECKLENBURGICUS,

PRINCEPS HERULORUM, OBOTRITO-

RUM, VANDALORUM, SWERINI, RATZE-

BURGI, COMES SWERINENSIS, TERRARUM RO-

STOCHII ET STAROGARDIÆ DOMINUS; CAN-

CELLARIUS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

MAGNIFICENTISSIMUS,

Die Primo Decembris ANNI M.DC.LVIII.

(Qui eundem inter 4. & 5. horam matutinam, antè tri-
ginta quinque annos, cum felicissimò Provinciæ incrementò
primùm in lucem protulit.)

CORAM MAGNIFICO AC SPLENDIDIS-

SIMO, HONORATISSIMORUM AUDITORUM

SPECTATORUMQVE CONSESSU,

Cum magnâ Festivitate, ac Religiosò Musarum

MECKLENBURGICARUM concentu.

IN

PALMA GLORIOSISSIMA

PUBLICO PANEGRICO

Expresus

LAURENTIO BODOCK,

Sereniss: Celsitud: Suæ Consiliario intimò ac Histo-

riographò; Academ: Rostoch: Oratore publico,


Ordinis Philosophici Seniore.



ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILH, Academiæ Typographi,

ANNO DOMINI M.DC.LIX.



0263

TIBI
SERENISSIME AC CELSISSIME PRIN-
CEPS ET DOMINE
DN. CHRISTIANE,
Dux Mecklenburgice, Princeps Vandalor-
um, Herulorum, Obotritorum, Swerini, Ratzeburgi,
Comes Swerinenfis, Terrarum Rostochii & Staro-
gardia Dynasta, Cancellarie Academiae Ro-
stochienfis Magnificentissime,
DOMINE CLEMENTISSIME
TIBI;

PALMAM HANC MECKLENBURGICAM

^{Quæ}
Ab ipsò auspiciatissimò tuò Natali die, ad hanc usq; ho-
ram, & tuam Regiam, totòq; Orbe, à Viginti seculis celebratissimam
Profapiam, & præclarissimam tua, ac Cedrò digna, sagò togâq; facino-
ra; & tuam constantissimam magnanimamq; in utrâq; Fortunâ
indolem, & plures alias Heroicas virtutes, vivò quasi
exprimit colore.

CUM SUBMISSA REVERENTIA, NUNC EXHIBEO,
DICO, AC CONSEURO.

Quam Tu Princeps Optime ac laudatissime, velut plu-
rium aliorum (si DEUS Benignissimus prolixiorẽ largietur vitam)
observantissimi ac devotissimi animi mei, ergà Te, Monumentorum
Prodromum, clementissimò oculò & pectore, à me, hac vice,
excipere non dedigneris;

Qui sum, vivo, & morior,

SERENISSIMI AC CELSISSIMI NOMINIS TUI

*Servus submississimus
Cultorq; devotissimus*

LAURENTIUS BODOCK.

PANEGY-



PANEGYRICUS.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR.
VIRI REVERENDI PLURIMUM, NOBILIS-
SIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIEN-
TISSIMI, CLARISSIMI, PRÆSTANTISSIMI. VOS O LE-
CTISSIMI JUVENES, AD LAudem DECUSQ; SUI SECU-
LI PROGENITI ATQ; INSTITUTI. UT ET OMNIUM
ORDINUM HOSPITES HONORATISSIMI.

Illuxit clementissimâ Supre-
mi Numinis Providentiâ; illuxit læ-
tissimus hodiernus dies, hujusque
Mensis Decembris Primus; qui An-
no hujus seculi 1623. inter horam 4.
& 5. matutinam, Serenissimum ac
Celsissimum Principem & Dominum, DN. CHRI-
STIANUM, Ducem Mecklenburgicum, Princi-
pem Vandalorum, Swerini, Ratzeburgi, Comitem
Swerinensem, Rostochii & Stargardiæ Dynastam,
atque Magnificentissimum hujus Academiae Can-
cellarium, Dominum nostrum clementissimum,
primum in hanc communem produxit lucem.
Affulsit faustissima ista lux, quâ Sempiternus ille
Maximusq; Deus, post exhausta olim, gloriosissi-
morum, Æternitatiq; consecratorû Parentum vo-
ta, totius Megapolis tunc desideria abundè extin-
guens, Magnum ac Magnanimum huncce Princi-
pem, bonis optatissimum, his qui vitæ, animiq; in-
tegr-

A

tegr-



tegritatem decoxerunt formidabilem, Provinciæ,
Universitati Urbique huic, Romano Sacroque
Imperio, atq; cæteris Europæ Regnis fortunatissi-
mum, omnibus exteris gratissimum, Patrem Patriæ,
Vindicem & Assertorem publicæ salutis, Amorem
populi & delictum protulit. Quam, desideratissi-
mam sanè lucem, quâ lætiores Megapolis nullam
aliam nancisci potest, & quæ tantæ felicitati tantisq;
bonis auspiciis suppeditavit, quonam obsecro pa-
cto? quo cultu? quâ religione, Honoratissimi
Omnium Ordinum Auditores honorabo? Annè,
pro more decrepitæ Antiquitatis, equestres ludos,
venationes, epula magnifica, munera annalia, aliasq;
profanas superstitiones, augendæ publicæ festivitatis
gratiâ, adhibebo? Minimè verò. Nam Princeps hic
laudatissimus, non solum nomine, sed re & animo
**CHRISTIANUS, veræ, & non Pharisai-
cæ religionis nixus radicibus,** & ad
quem, in editissimò rerum humanarum apice col-
locatum, uti ad illum, in Arcadiâ, Montem Licæ-
um, umbrarumque expertem, marcescentes Eth-
nicarum umbræ vanitatum non permeant, tam
fuitiles, tamque luxuriosos eorum abominatur
ritus; qui densissimis errorum involuti tenebris,
æternæ veritatis luce caruerunt. Quocirca in-
genuâ pietate & submississimâ devotione, ingens
illud expédam donarium, quod cœlestis illa, Mega-
poli huic, Benignitas concessit; dum huncce Princi-
pem, vetustissimæ ac celebratissimæ Domus Meck-
lenburgicæ illustratorem, domi forisq; favorabi-
lem, eidem, clementissimè largiretur. Subrogabo
in aliorum rituum locum, quod pietatis munus est,
devotam gratulationem, faustumq; applausum,
Infini-

Infinಿತæq; illi ac Divinæ supplicabo Bonitati, ut me-
mor hujus in hanc Provinciã amoris, intrã con-
firmatã plurimorum annorum felicitatem, tam
expetitum tamq; salutarem omnibus bonis diem,
auspicatõ, sæpissimeque, per hanc vitam reducere
velit. Cum verò Amasis, adhuc privatus, nec dum
Regnum adeptus Ægypti (uti in Athenæo legitur)
Regi Partheni, diem natalem cum summõ animi
pro lubiõ celebranti, Coronam elegantem ac è flori-
bus saltem confectam donaverit; Cujus pulchri-
tudine, Rex magnoperè delectatus, Amasim ad
cœnam humaniter invitavit, & in cœtum sibi de-
vinctiorum cooptans, Supremum sui exercitus Du-
cem, eundem designavit. Igitur & ego, solis ingenii
opibus, solâq; beneficã voluntate liberalis, Offe-
ram animo religiosissimo, Serenissimo ac Celsissi-
mo Principi nostro CORONAM, ex amœnissimã
viridiq; contextam Palmã, eãq; ipsã, hocce so-
lenni die, in Magnifico hoc ac Splendidissimo Con-
fessu, Venerandissimum ejusdem Caput, ipsissi-
mum Martis & Minervæ Sacrarium, justissimis de
causis exornabo; Spe fretus firmissimã, quod
quantõ ampliora meretur Excelsissimus ille ve-
rèq; princeps animus, tantõ modica benignius in-
terpretabitur. Vos verò omnium Ordinum Au-
ditores honoratissimi, ex porrectã fronte, festum
hunc mecum agite diem; piissima mentis depro-
mite gaudia, genialemq; hancce lucem, quæ Se-
renissimo Principi CHRISTIANO Vitæ exor-
dium, toti verò Megapoli, huic Academiæ ac Urbi
felicitatem hanc usurpandam, antè 35. annos con-
cescit, summã veneratione colentes, benevolas ac
benignas aures, mihi, Palmam explicanti Meck-
lenburgicam, porrigite. A 2 APO=

APOSTROPHE AD MUSAS.

Sed quia Vos Mecklenburgicæ in procinctu estis Musæ, quæ Parnasso vestro relictô, ad hoc Sapientiæ Delubrum ingressæ, in sempiternam Serenissimi Principis laudem, (qui vos suâ auctoritate, felicitate, benignissimè sustētabit) suavissimô vestrô concētu, Augustam hanc recreare Coronam expetitis, tam diu meæ favebo linguæ, ac attentissimas, simul cum aliis, Vestræ suavissimæ Harmoniæ Celsissimo Principi consecrata, aures præbebo.

[*Musica interveniebat*]

Quâ finita

FIEBAT ALLOQUUTIO AD MUSAS
CUM PANEGYRICI CONTINUATIONE.

Præclarè factum honestissimæ Musæ. Quippè cum ipsâ immensâ æternitate, posthac memoria nostri certabit Principis, dum jam non solum vestris delicatiorib9 vocibus, sed & vestris eximiis artibus, quæ unicæ veram nominis & parant & conservant immortalitatem, coli incipit; Cujus æternaturæ virtutes, æternæ admirationis merentur cultum, & quem non sola nascendi fors, sed divinior quædam mentis sublimitas, in divinâ inter mortales dignitate collocavit. Ego verò petita ex alto, verborum lenocinia ultrò subterfugiens, & primô impetu, in arcem ipsius causæ festinando, id in primis in hoc Augustissimo Confessu ingenuè confitebor. Antequam nimirum, à Serenissimo ac Celsissimo Principe Dominoq; clementissimo, inter plura alia favorum documenta, clementissimum nuper impetrarem abitum; ille pro suâ erectissimâ in Divinam Providentiam indole, pro illâ adamantinâ, in tantâ fortunæ varietate constantiâ, egregios sanè, ac ex ipso Prudentiæ, inter Orbis Principes non adeò frequentis,

quentis, penetrali depromptos, de magnanimo
 Principum cordatorū pectore, movebat discursus,
 Eosq; qui in utrôque fortunæ tenore, placidum ac
 compositum semper præferunt vultum, nullique
 unquam succumbunt calamitati; eos inquam ipsos,
 generosæ, victriciq; omnium ponderum PALMÆ
 conferebat; *quæ quôd magis deprimitur, eò magis sursum erigitur.*
 Ego verò miratus, me hercule! tam magnæ sermo-
 nem sapientiæ, in meum subito induxi animum,
 ut nempè Vitam ejus, inter quosvis procacioris
 fortis insultus generosissimam, PALMÆQ; intractæ si-
 millimam, primâ occasione, publicô ingenii & elo-
 quii monumentô, in ipsâ PALMA exprimerem.
 Quod nunc, Serenissimi ac Celsissimi Principis hu-
 jus ornamentô jurejurando obstrictus, lubens, in
 in hoc auspiciatissimo ejus Natali die facio. Ut vi-
 delicet Heroica tanti Principis Virtus, contra quam
 omnes fortunæ asperitates, tantum ad hanc horam
 potuerunt, quantum adversus Solem nebulæ, quan-
 tum adversus PALMAM pondera possunt; ut inquam
 non solum apud præsens seculum, sed apud futuram
 etiam posteritatem, eò magis inclarescat, ac instar
 viridissimæ diuturnæq; floreat & virescat PALMÆ.

*Quæ imprimis, (uti ille profundissimus naturæ scrutator Plinius
 asserit) longævam, inter ceteras plantas, obtinere vitam, instar Phœ-
 nicis aliquot vivere seculis, & ubi, vel grandiori gravatur ætate, vel ali-
 quô aliô casu, suo succumbere cogitur fato, à se ipsâ renasci, & uti
 prior, crescere atq; florere perhibetur. Sic ut PALMA à Græcis, hodiè
 quoq; Phœnix, nuncupetur. Hæc an veritati sunt consen-
 tanea? committo illorum fidei, qui naturæ ar-
 cana, sagacius explorare solent; Id verò apud die
 clarius est. Quod celebratissima in Orbe Prosapia
 Mecklenburgica, quæ natum Principem nostrum,*

B

Serenis

Serenissimum CHRISTIANUM, & quidem cœlo
aspirante & auspicante, A.M.DC.XXIII. inter 4. & 5.
horam matutinam excepit, instar diurnæ longæ-
væque PALMÆ, ultra bis mille annos suæ florem glo-
riæ, ad hanc horam intaminatum conservavit; quod
tot Vandalorum, Obotritarum, Herulorum, Po-
lonorum Reges, Principes, Ducesq; Mecklenbur-
gicos, atque alios assiduè ex aliis Heroas, perpetuâ
serie, velut *viridissimas ac florentissimas PALMAS*, Orbi præ-
buerit. Præbuit illos ANTHYRIOS, in Aulâ &
castris Magni illius Macedonis, (qui cum Oceano re-
gni sui terminavit limites, & Orientem intra imperii
sui fines Solem videre potuit) supremam nominis
gloriam consecutos. E quibus, velut è palmis fœ-
cundissimis, prodierunt per plurimæ aliæ Regiâ in-
signitæ Coronâ PALMÆ; quæ antiquitate Majesta-
tis & Splendoris, diligentiam Historicorum eludunt.
Prodierunt, illi ANAVÆ, ALIMERI, ANTHY-
RII, HUTERI, incarnati CHRISTI JESU tempore in
hacce Megapoli, Regiâ Majestate florentes. Prodie-
runt VISILAI, VITISLAI, DIETERICI, TENE-
RICI, ALBERICI, VISIMARI Urbis Vicinæ Vis-
mariæ conditores, Thraciæ, Pannoniæ, Norici, Illi-
rici vastatores. Prodierunt RHADAGASTI, ob
amorem populi, à propriis subditis, in numerum
Deorum cooptati. Prodierunt FREDEBALDI,
GUNDERICI, Hispaniæ, Balearium Insularum,
Carthaginis, Hispalis in Boeticâ, Affricæ, Siciliae,
Italiæ, Romæ, Capuæ, & Nolæ terrores. Prodie-
runt GENSERICI, GUNDAMUNDI, THRASI-
MUNDI, GILIMERI, HILDERICI, ARIBER-
TI, BILUNGI, MISLAI Longævi, MISTE-
WOI Fortissimi gigantes, GODESCALCI pœni-
tentes,

tentes, martyresq; CHRISTI gloriosissimi. Prodie-
 runt PRIMISLAI Primi, HENRICI Primi,
 Christianæ fidei susceptores & cultores ardentissi-
 mi, PRIBISLAI Secundi pientissimi, Regesq;
 Vandalorum, Herulorum, Obotritorum ultimi,
 HENRICI denique Burevini religiosissimi, & jam
 Vandalorum, Obotritarum, Megapolensium Prin-
 cipes, atquè Rostochii ac Starogardiæ Dynastæ.
 Equibus, DEUS immortalis! quam decoræ, quam sua-
 vi Virtutum Heroicarum fructu redundantes,
 Mecklenburgicæ expullularunt Palmulæ; quæ in-
 ore adhuc sunt, ac in animo mortalium, & quæ diu-
 turnitate famæ, instar Palmæ aliquot durantis se-
 culis, vastam temporum æquarunt profunditatem.
 Expullularunt, illi JOANNES Theologi, HEN-
 RICHI Hierosolymitani, HENRICHI Leones,
 JOANNES & ALBERTI, hujusce Provinciæ
 Palladii, hujus communis sapientiæ Oraculi, antè
 ducentos & triginta novem annos conditores. Ex-
 pullularunt HENRICHI pingues, MAGNI Tertii, Ec-
 clesiæ vicinæ Jacobæ, aliorūq; in Provinciâ Sacro-
 rum Domiciliorum fundatores, terræ Sanctæ semel,
 bis Romæ Orbis Dominæ (quod eâ ætate magnum
 erat sanctitatis argumentum) visitatores. Expul-
 lularunt HENRICHI pacifici, ERICI eruditissimi,
 ALBERTI formosi, ULRICI prudentissimi, CHRI-
 STOPHORI pientissimi, CAROLI mansuetissimi,
 JOANNES ALBERTI munifici, JOANNES
 probissimi; qui omnes ac singuli togâ sagoque il-
 lustrissimi Heroes, gratiosissimè olim, in hoc mun-
 do, factis suis præclarissimis, instar PALMARUM diffi-
 cillimè tabescentium virebant; & ad hancce ho-
 ram, virent quoad nobiliorem sui partem cælo

pridem dedicatam, & quoad famæ æternitatem, nec annorum terminos, nec mensuram felicitatis expavescent. Et tandem expullulabat Honoratissima Mecklenburgica PALMA, A. D. 1588. ejusdem Mensis Decembris die 15, ADOLPHUS videlicet FRIDERICUS, Princeps sanè piissimus, pacificus, æquissimus, in cujus pectore ipsa honestas, ipsa Virtus heroica, tanquam in Delubrum quoddam ac Sacrarium confugerat, & qui post mortalitatis etiam fata, cum nihil aliud possit subditorum pietas, æternâ devotissimæ memoriæ veneratione recolitur. Cujus Palmæ inclitissimæ, tristem è consortio mortalium, magis lugeremus, evulsionem, nisi ex illâ ipsâ singularem, ac inter tot illusterrimas utriusq; Sexus Palmas (quarum immortale nominis decus, orbi quoq; legendû, si DEUS vitam concesserit proponere conabor) primariam, præcipuæque dignitatis Palmam, nempe Serenissimum ac Celsissimum CHRISTIANUM, ante 35. annos, felicissimè renatam esse experiremur. Quam, ut æternâ nobis amœnitate vegetam coeli favor conservet, ut ejus viror, ab ipsis Heroicis exortus Virtutibus, eos producat fructus, qui temporum ac annorum injuriis superiores, perfectissimâ maturitate perennent, animus vovere debemus. Et si, Xerxes ille Persarum Rex Potentissimus, pulcherrimæ in Lydiâ arboris, Platani scilicet venustate captus fuerat, ut ei, quamvis tantæ majestatis Rex, innumeris imperans populis, ultrò serviret, ac preciosis ex eâ suspensis ornamentis eandem honoraret. Nostrum erit & quidem potiori jure, solennissimâ veneratione florentissimam hanc ex Regiâ Celsissimâque Mecklenburgicâ Domo renatam palmam, coelestemque
ejus

eius GENIUM, hoc imprimis die geniali, piâ
castâq; mente, cum nulla alia curet, divinus hic HE-
ROS fortunæ ludibria, recolere; Cui, quod Pro-
vinciæ res præ aliis infinitis gentibus felicius ad hanc
horam gerantur; quod suus templis honor; quod
suis justitiæ vigor; quod domibus singulorum pri-
vatis, sua constet securitas; quod pacis bona latissi-
mè inter nos adhuc floreat; cui inquam, post illum
Supremum Regum ac Regnorum Præsidentem, illiusq;
selectissimo inter Orbis Principes genio ac coelesti
ejusdem menti debemus; qui pectore & linguâ to-
tò in amorè populi, in Provinciæ ac Academiæ salu-
tem effusus, torrenteq; coelestium irrigatus cogita-
tionum, solâ subditorum contemplatione, quasi
propriò pabulo alitur & fœcundatur.

Palnam autem nostram quod attinet; quan-
quam non quælibet fructum proferat, non paucæ
attamen in Hispaniâ, Cyprò, aliisque dantur locis,
quæ fructus (quos dactylos nuncupamus) dulcissi-
mos producunt, uti quidam Vir eruditissimus cecinit.

*Hanc levis ascensu Palma est, sed vertice fructus,
Præmia perpepsi grata laboris habet.*

Quid autem jam de Serenissimo nostro Principe di-
cam? qui quanquam ob Majestatem avorum, gene-
risq; celsitudinem, ad summum famæ evectus sit ca-
cumen; auget tamen ipsam, dulcissimò virtutum
suarum fructu. Nequè contentus omnibus illis,
quæcunq; ultrà duo secula, tum bellicæ tum togatæ
celebritatis velut jucundissimi fructus, partim in
Europâ, partim in Africâ & Asiâ, à laudatissimis par-
ta fuere Majoribus, coelesti quodam sacroque
afflatus instinctu, edit ex semetipsò gratissimos, va-
riosq; quibus ipsam superat Palmam, Virtutum he-
roica-

C

roica-

roicarum fructus, tantumq; pristinis illis ac pulcher-
rimis, quæcunq; in domo Mecklenburgicâ, ultrâ vi-
viginti secula floruerunt Palmis, fructuum egregio-
rum, scilicet belli pacisque ornamentorum adjecit,
ut nihil majus conditio mortalium, animo ac votis
complecti posse videatur. Et quidem edit in pri-
mis mellitissimum, sinceræ ac seriæ erga Supremum
illud Numen pietatis fructum. Quæ, cum sit inex-
haustum Principum gazophylacium, si opes ambi-
ant; instructissimum armamentarium, si vires ex-
petant; inexpugnabile propugnaculum, si securi-
tatem cupiant; sapientissimum senaculum, si con-
silia desiderent; solidissimum felicitatis regiminis ful-
crum, si prosperitatem exoptent. Me hercule! Se-
renissimus Princeps noster, deposito superstitionum
fascinò, quibus insana mortalium hodiè sca-
tent sincipita, summò hanc divinam virtutem, cul-
tu veneratur, & non ad futilia illorum commenta,
qui in suo, eleboro digno cerebrò, meras parturiunt
hymeras, sed ad Verbi DEI regulam, quod magnò
pectoris ardore, atque prolubiò audire solet, vitam
suam decentissimam, moresq; integerrimos con-
format. At detestatur jure meritò illos foris Ca-
tones, & intus Nerones; illos qui Curios simulant
& Bachanalia vivunt. Qui veluti Struthiones pen-
nis quidem præditi sunt, sed volare nequeunt; qui
inquam (ut cum D. Gregoriò loquar) Ut Struthio-
nes, puri, puti Hypocritæ, pietatis quidem & religi-
nis Christianæ speciem simulant, sed nec pieta-
tem, nec justitiam, nec ullam sinceram seriãq; vir-
tutem, in suo complectuntur pectore. Nec minus
abominatur eos, qui, velut laxatæ ab inferis furia,
dentatis maledictis, famam aliorum in Ecclesiâ
Chri-

Christianâ proscindunt; qui similes araneis, (quæ
uti casses & filamenta, mirâ arte è propriô gignunt
corpore) figmentorum suorum ac putidissimarum
laqueos nugarum, suo pte nectunt ingenio; qui ad
sui intricatissimi modulum cerebri, sacras fingentes
litteras, nunc demunt nunc addunt de suo, hancq;
animi carnificinam, cothurno versatiliores, ab ipso
sanctissimo proficisci Spiritu autumantes, in solâ
Verbi Divini depravatione manent constantes; si
modò dementissimi capitis atq; cordis pertinacia,
vera possit cōstātia nominari. At jam, in alios Palmæ
hujus Mecklenburgicæ fructus oculos conjiciam.
Producit videlicet Celsissimus Princeps instar Pal-
mæ fructiferæ, carissimum sanè Prudentiæ fructum;
quæ fax est orbis lucidissima, quæ præit Principibus,
& cujus auspiciis (ut Themistius Rhetor gravissim⁹
ad Valentinianum Imperatorem) feliciter Reges &
Principes imperant. Quâ Princeps hic sempiterno
dignissimus encomio, stat suis septus viribus, ac hu-
mana omnia infrâ se posita existimat. Et uti, Sol
serenos vultus etiam nubilis montibus induit, ita
nullus fortunæ turbo tantus unquam adfuit, qui
coeli istius celsissimi infuscare potuit tranquillita-
tem. Quâ deniquè communitus, si quando, cer-
tè periculosissimis hisce temporibus, quibus jam
proh dolor! non solum Megapolis, sed universa
Germania, aliaq; Regna, de suâ periclitantur salute
& fortunâ, erecto in cœlum Divinamq; Providen-
tiam oculô, occurrentes in his tumultibus bellicis
casus, vigili circumspeditione declinat; impediti-
ma, inter Martis sævitiem, rerum tempora, consilio-
rum dexteritate expedit & dissolvit; maximâ so-
lertiâ priscorum retròspiciens acta, præteritorum
succes-

successus, futurorum & præsentium moderamini applicat, & inter innumeras imperandi difficultates, constantiam ac magnanimitatem cum prudentiâ conjunctam, fortissimè conservat; nè vel curarum mole obrutus concidat, vel clavum Imperii Divinitus sibi concessi inglorius amittat. Sed jam non mediocriter aures & animos recreare poterit fructus summæ suavitatis; Justitiæ videlicet, cujus violationem impunitam si ferant Principes, nè Principis quidem nomen merentur; Cum illa unica sit felicitatis humanæ genitrix; sit illa cœlestis libra, quæ æquali justitiæ tenore, rerum omnium servat incrementum, quâ, si & virtuti & sceleribus quod suum est appendatur, sanctissima cœloq; ipsi affinia præstat imperia. Et hujus inclytæ Virtutis, ab illis Justissimis HENRICIS, UDALRICIS, ADOLPHIS FRIDERICIS, (qui difficilius ab æquitate quam Sol à cursu suo averti potuissent) in constantissimum derivatæ pectus; hujus inquam virtutis cultor est indefessus, Princeps hic incorruptissimus, qui sivè per se, sivè per suos integerrimos sacre Justitiæ Ministros jus dicens, cœlesti juri suum submittit sceptrum; nec quod sua sibi permittit potestas, sed quid illius imperet voluntas accuratè observat. Hujus Virtutis zelosissimus observator, nec gravissimis ignoscendi delictis potentiam usurpat, nec graviori oppressos vindictâ prosequitur; sed quantum per Divinæ indultum Regulæ licet, ita jus exercet omne, ut nec cupiditate puniendi invidiam, nec scelerum impunitate contemptum sibi accersat; ut deniq; quantum justâ criminum vindictâ ab ingentâ recedit mansuetudine, tantum æquisimâ justitiæ moderatione, ad ipsam accedat clementiam;

aureæ

aureæ illius non immemor mediocritatis; per quam
Principes, qui jam diu orbem nominis sui famâ im-
pleverunt, non tantum MAXIMORUM potentiâ,
sed OPTIMORUM Principum titulum solâ beni-
gnitate obtinuerunt. Quâ cœlesti omnibusquè in-
genii monumentis decorandâ Virtute, per Majores
illos benignissimos, per illos Radagastos Primislaos,
Magnos, ALBERTOS, uti per maximæ benignita-
tis traduces transfusâ, velut fructu inæstimabilis ju-
cunditatis, reficit ac exhilarat, omnium mortalium
animos, Palma hæc Mecklenburgica; Serenissimus
nempè CHRISTIANUS, qui ad ipsam progenitus
clementiam, alienissimus est ab illo Principum ge-
niô, qui Persico fastu, velut in templo quodam sa-
crati, nemini sui oris pandunt notitiam, & ad quo-
rum vultum, omnes, velut ad virulenti motum
Scorpionis exhorrescunt. Non alium jam tota ex-
peritur Provincia; quam alterum suum Flamini-
um, alterum Cimonem; Heroes olim Orbis decan-
tatissimos, qui solâ clementiâ, in ipsa subvecti æthe-
ra, famam nominis sui, in admiratione populi ac in-
timô amore, ad hanc usque horam provexerunt.
Quâ quoque Virtute, unicô Majestatis Regum &
Principum ornamento, non solum in hac Megapo-
li, sed in aliis quoq; Regnis, longè efficacius quam
magnes chalybem, omnium bonorum, in sui ineffa-
bilem abripit amorem; dum nempè instar Solis, qui
in ipsô cœli consistens meditullio, exiguas jacit te-
nebras; quò altius à fortunâ est evectus, eò magis
semet demittit, & in tam sublimi Imperii culmine,
insolentissimos illos, despiciatui ducit Principes,
quicunque dulciori Fortunâ ebrii, eandem ipsam
concoquere non potuerunt. Huic verò delicatissi-

D

mo cle-

mo clementiæ fructui vicinum, gustuiq; humanæ
mentis acceptissimum, Candoris videlicet fructum
agnoscimus, qui ab hâc decentissimâ Palmâ Meck-
lenburgicâ, ab hac pectoris Mecklenburgici ingenu-
itate, velut à limpidissimâ fontis purissimi scaturigi-
ne procedit. Quô candore conspicuus Celsissi-
mus noster CHRISTIANUS, aspernatur, velut
ACHILES Mecklenburgicus talem, *cen claustra Erebi,*
quicumq; *Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore condit:* Gerens
ille semper, amicitiam atq; inimicitiam, in ipsâ fron-
te apertissimam, non habet ullum commercium,
ullam affinitatem, cum illis redivivis in Orbe LY-
SANDRIS, (qui ut Plutarchus scribit) vulpinam leo-
ninæ pellem prætexere solebant; Non cum illis CA-
TILINIS subdolis ac variis, cujuslibet rei simulatori-
bus; non cum illis LYSIMACHIS, occultare quæ
vellent ingeniosisimis; non cum illis TIBERIIS, vel
fatius cum illis monstris ex vulpinâ fraude ac leoni-
nâ truculentiâ conflatis, qui omnium fucatissimi a-
mici, in omnium contabuerunt odiis ac maledictis,
perpetuôque in pavore viventes, nunquam securi,
suô fallendi artificiô, miserimè perierunt. At qui-
bus tamen ingenuæ Princeps hic sinceritatis, candi-
dissimum suum contestari pectus, & erga quos con-
stantem suum declarare nequit favorem? Dicam &
vera dicam. Quanquam Princeps hic Maximus,
hocce seculô Eruditionis, Gallicæ, Romanæq; (quâ
mirum in modum, rarò Principum Exemplô dele-
ctatur facundiæ palmam, plurimis Principibus ac
Heroibus eripiat. Quanquam solidè doctos me-
dullitus, eorumq; jucundam conversationem, im-
pensius diligit, eosq; qui illi Licinio barbaro, aratro
quam Sceptro Imperii digniori, (qui literas pestem
Reipu-

Reipublicæ, bovis non hominis voce nominabat) sunt similes flocci faciat; solos nihilominus illos Sy-cophantas, illos lingulaces, & à rabie benè Rabulas dictos, qui alias à vobis **Bundmachern** / appellantur, illa spurcissima capita, illa forensia pecora, illos togatos vultures qui sanguinaria rapacitate clientes ex carnificant, qui ad lites sufflaminandas, uti corvi ad cadavera conveniunt, extremè execratur; eosque ipsos nec in Aulâ propria, nec in ullis Justitiæ Delubris, uti merà portenta ex fraude & avaritiâ cocta, in infamiam seculi, in ludibrium sacrorum Themidos, præcipuè in Germaniâ tantò proh dolor! numerò viventia, vivere permittit. Qui digni essent meò exiguò judiciò, qui non solum ex Aulis, Curiis, Rebus publicis, cum sempiternâ excluderentur ignominiâ, sed ut etiam ipsis, (uti olim in clade Romanorum à Germanis factum fuerat) linguæ illæ sceleratissimæ, linguæ vocales, linguæ ipso scorpione virulentiores nisi eas funibus argenteis vincias, præscinderentur; ut tandem Viperæ hæ sibillare, imò ut contagiosa lethaliaq; spicula, innocentissimis infingere hominibus, eosq; crudeliter enecare desisterent. Sed non favet & illis Princeps hic candidissimus, quibus, etiam si ambram & muscum circumferant, ipsa foetet anima; qui scilicet plurimam pietatis, probitatis exhibent speciem; cum intus assentatione, fraude, aliorumq; scelesti diffamatione, turpissimè sordeant. Non favet dolosissimis illis parasitis, qui per ruinam alienæ existimationis, ad propriam famam, ad honorum cacumina pertingere volunt, ipsis deteriores corvis, qui non cadavera, sed famam, quâ nil preciosius, imò ipsos Principum animos depasci atq; corrumpere conantur. Non

Non favet illis, qui vaferimæ propriamque magis, quam Principum cuticulam curantis naturæ umbraculis tecti, rapacibus instructi unguibus, miserimos homines, eorumq; marsupia emungunt. Non favet illis **CAPRIMULGIS**, furibus illis (ut Plinius asserit) nocturnis, qui miseras, usq; ad ipsam mortem capras emulgere consueverunt; non favet inquam illis, qui violenter pauperrimos homunciones atque subditos, tantâ & tam inexhaustâ aviditatis crudelitate exsugunt, ut spirantia adhuc cadavera non relinquunt, antequam omnem spiritum, atq; humorem; pecuniam videlicet, quæ (ut quidam dixit) miserorum est animus mortalium, exhauriant. Inter quos, & huncce purissimi candoris Principem, major est, quam inter **PALMAM & FIMUM**, quem illa nullatenus tolerare (ut brevi dicam) valet; major inquam est cordium repugnantia, majorq; (ut nominatur) animorum **ANTIPATHIA**. Neq; tamen inveniet ullus mortalium in hoc Principe integerrimo, ingenium **FLAVII VESPASIANI**, qui solos tenacitate, avaritiâ, rapacitate infames, & qui facilius sibi dentem ex ore excuti, quam unicum ex arcâ nummulum moveri patiuntur, ad publica evehebat officia, tandemque locupletiores factos, vel in ipsam detrudere miseriam, vel mortis mulctare solebat suppliciô; ut vulgò dictus fuerit, suos Ministros pro Spongiis habere, eosque velut Spongias siccas, opibus prius madefacere; ubi autem humorem divitiarum imbiberent, egregiè exprimere, & ad pristinam redigere siccitatem. Non reperies dixi, talem in hoc Principe præclarissimo mentem; qui tam sordida avaritiæ mancipia, suis non dignatur officiis, & si semet in ipsa aliquô astu
acar-

ac artificiô insinuant, brevi abire jubet ex suâ aulâ,
vel ad ipsas (uti Plauti Libanus in Afinariâ loquitur)
fustitudinas, ferricrepinas insulas, Ubi vivos homi-
nes, mortui incurfant boves. Sed quid de illis jam di-
cêdum, qui suam pristinam ariditatē, suam illam ex-
tremam inopiam, per flagitiosas subditorum, cum
magnô Principum dispendiô emunctiones, opibus
ac nummis humectarunt, sequē & suos, nefariis lo-
cupletarunt artibus, ita ut jam iniquissimè corrasis,
tumidi, facultatibus, suæ prioris, vilissimæq; imme-
mores fortis, præ superbiâ ac arrogantia alios lon-
gè se meliores vix agnoscant. Hos, hos, si Cel-
sissimus Dux CHRISTIANUS, tanquam
spongas, illicitis madefactas modis, optimè expri-
met; si hunc pravum ab illis divitiarum humorem,
quô & in bonorum, & in suæ animæ abutuntur per-
niciem extrahet; si in priorem inopiæ, quâ olim ta-
bescebant, siccitatem rediget; procul adhuc erit ab
illâ pravâ FLAVII VESPASIANI indole; imò rem
faciet universi Orbis prædicatione dignissimam,
quâ deprimet elata arrogantium supercilia homi-
num; ad saniolem, horum obcæcatorum avaritiâ
mortalium, rediget mentem, qui extinctâ jam ratio-
nis luce, judiciô & consiliô rejectô, tanquam Deum
& Numen, suum adorant aurum; tandemquē non
absquē magnô animæ, solis jam affixæ opibus com-
pendiô efficiet, ut manifestè agnoscat, vivere adhuc
in cœlo DEUM, illorum avaritiæ ac rapacitatis Vin-
dicem, nequē justissimô suô permittere judicio, ut
pessimè parta benè dilabantur.

(*Altera ad Musas alloquutio*)

Quia verò Vos Musæ, rerum sciētia, virtuteq; orna-
tissimæ, meam, tantarum Palmæ Mecklenburgicæ

E lau-

laudum mole, mentem linguamq; oppressam erigere ac relaxare, simulq; si quid tædii ex sermone hoc (quod non spero) contractum est, ex animis Præcellentissimi hujus Confessus, dulcissimò excutere contentu molimini, benevolo Vestro obsecundans placito, lubens conticebo.

(Continuatio Panegyrici)

Tam gratiosâ Musarum recreatus ac refocillatus modulatione, ad gloriosam jam revertor Palmam, quæ Heroicam Celsissimi Principis nostri Indolem & Vitam, melius, quam penicillum Apellis exprimit, & quæ, (ut Theophrastus, aliique, qui omnem intellectus sui vim, in investiganda naturæ arcana conjecerunt, affirmant) *Salsum diligit solum, & à simò (uti jam mentionem feceram) prorsus abhorret.* Quid autem Celsissimus noster? Sale ille, at quò Sale? Sapientiâ videlicet, in Salis Hieroglyphico, à Venerandâ connotatâ Antiquitate, quæ instar Salis ab omni vitiorum putredine, animos præservat mortalium, summoperè delectatur; Et hac insigni virtute, hâc animi moderatrice, paucissimis hujus seculi Principibus cedens, plurimis autem antecellens Celsissimus noster Dux CHRISTIANUS, omnes suas actiones, ad famæ conservationem dirigit. Optimè edoctus, nullam ferè maculam, præsertim in Principibus ita elui posse, quin aliquod vestigium maneat, nequè ullam esse in privatorum mentibus opinionem, quæ integrè & stirpitis queat evelli. Non tam autè à præceptorib9, quàm ab ipsâ sapientiâ, in ipsis juvenilibus, informatus annis; quod publica existimatio nihil aliud sit, quam spiritus quidam tenuissimus in hominum judiciò accensus. Ideò omnia sua præclarissima, eò ordinat disponitq; facta, ut hosce subtilissimos spiritus, non solum apud suum populum,

lum, sed in aliis quoq; Europæ Regnis foveat & nutriat. Verum fimum, turpiter olentem, instar purissimæ palmæ, abominatur noster Celsissimus; quem quæso fimum? sordidissimas illas, Voluptatum illecebras, fœdissimum illud ac tenacissimum corporearum cupiditatum cenum; in quô suffocati illi redivivi BONOSI, illi CLAUDII, illi HELIOGABALI, illi APICII, illi SARDANAPALI, nec ad divina & cœlestia, nec ad Republicæ subditorumq; salutem promovendam aspirare possunt. In quô demersi, uti spurcissimi Scarabæi, (juxtâ Aelianum in fimo ac stercore viventes, in suavissimis verò pereuntes Rosis) fermè triumphant, in impurissimô Voluptatum volutabro, ac in rebus laudatissimis, in actionibus Heroicis, planè languescunt. Quid verò noster Celsissimus? non ceno sed cœlo nato, spretis obscenæ voluptatis blanditiis, summum illud bonum, Virtutem heroicam consecratur, omnesq; illas excellentissimas animi corporisque dotes, (quas non solum Megapolis, sed Imperium Romanum, aliaq; Regna suspiciunt,) ad propagandam Virtutum heroicarum Nobilitatem convertens, pro salute Provinciæ, pro suorum subditorum fortunis ac incolumitate, indefessas agit excubias, nilq; aliud impensius quam DEI cœli gloriam, quàm famam rosas ac liliis apud posteros quoq; fragrantiores quærit; memor illius, quod Tacitus Scriptor Augustæ Historiæ eloquentissimus scribit. *Ceteris nimirum mortalibus, in eò consistere consilia, quod sibi conducere putent; Principum autem diversam esse sortem, quibus præcipua rerum, ad famam dirigenda.* At nè nostræ jam prorsus oblivisci videamur Palmæ. *Hujus quidem inferior caudex, ob quandam corticis scabriciem ac perplexitatem visus non adeò jucundus apparet. Sed superior ejus pars, tum trunci, tum ramorum amplitudine, tum*

*amena viriditatis pulchritudine, oculis omnium est perquam gra-
tissima.* Defigite jam (obsecro) lumina mentis ve-
stræ, in hanc Palmam Mecklenburgicam, in Cel-
sissimum Ducem CHRISTIANUM. Cu-
jus si inferiorem imprimis partem, corpus videli-
cet mutationi & corruptioni obnoxium, & quod
ferali indomitæ mortis succumbit potestati, intue-
amini; sanè, ipsam Palmam eundem superare ex-
periemini. Qui Heroicam & spectabilem nactus est
corporis formã, virili dignitate quàm muliebri ve-
nustate insigniorem, dignissimãq; imperiô & Maje-
state speciem; Quam comunem habet cum CYRO,
DARIO, SCIPIONE Africano: sed cur ex obsole-
tã antiquitate Exempla eruo? quàm habet simi-
lem cum ALBERTO illo formoso, cum ULRICO
pulcherrimô, aliisque Mecklenburgicis Heroibus;
quorum omnium animis generosisimis, adjuncta
fuit quædam augusta corporis majestas, quæ ad se
amandos omnes, rapere atq; illigare poterat specta-
tores; Si autem nunc illam superiorem hujus Pal-
mæ partem, in quam fatorum violentia nihil valet;
si illam divinæ particulam auræ, illam cœlestem ani-
mi indolē, quam vera excipit immortalitas, accura-
tius consideretis; absq; dubiô, illam sentietis per-
quam elegantem, ac generosisimam. Quâ, ab illis
palmis Mecklenburgicis, ab illis Avis, Proavis, Ata-
vis, volucris quodam igne ad summa quæq; accensis
Principibus derivatã, uti Palma miræ ramorum
pulchritudinis, Celsissimus hic Dux, omnibus se-
met gratisimum exhibet. Ad quam, & cum ma-
gno in vultu decore, cum egregiã corporis venu-
state conjunctam, nuperrimis temporibus, prius
Brandenburgici & Casariani, postmodum Polo-
nici,

nici; ex diversisq; gentib9 collecti Exercitus, Megapolim hancce transeuntes obstupuerunt, & abrepti (in patentissimô quodam campô) in contemplationem amoremq; tantæ, uti corporis, ita & animi elegantia, Principem huncce Egregium, quasi è cœlô in terras, prô singulari Regnorum ornamento delapsum devotissimè colebant; qui verò erat affectus immodicè lætantium, benèq; cupientium, non solum hoc auspiciatissimum Imperium Mecklenburgicum, quod illi in ipsis incunabulis, tanquam dotale pignus ac virtutum paternarum precium debebatur, sed propriæ etiã patriæ Coronam Sceptraq; altiori voce, erectiori vultu, eidem animitus volebant. Quibus, in Vandalis olim, (à quibus suam hodierni Poloni trahunt originem) viventibus, Majores ejus gloriosissimæ memoriæ, illi nempè WISSIMARI, illi MISIZLAI, illi GENSERICI, NACCONES, SEDERICI, BUREVINI, PRIBISLAI prudentissimè imperarunt; & cum quibus, vetustissimi illi ANAVÆ ab ANTHYRIO Primò progeniti, propter *Orethas* Sarmaticas, illi ALBERICI propter *Srissas* Polonicas, illi GODESCALCI propter SIMBULLAS MIESLAI II. illi PRIMISLAI, propter *Mechtildes* BOLESLAI crispî; illi BUREVINI, propter *Mechtildes* LESCHI albi, illi JOANNES propter WEGEHEILAS JAGELONIS, Regum Poloniæ filias, intimæ olim affinitatis jura ac vincula, antè secula aliquot contraxerunt. Sed *quorsum me adhuc inferior Palma Mecklenburgica caudex, supremæ illius pars,* quorsum tantarum Principis nostri laudum ubertas ac copia, quorsum divina virtutis ejus excellentia deducit?

F

Adesse

Adesse scilicet poterant AUDITORES Honoratissimi, quidam famæ vespillones, quidam crucis candidati, qui virulentâ incitati malevolentia, optimos & heroicis hujus Principis, in inferiori ætate mores, Sepiæ atramentô, (quod lucernæ infusum vultus (juxta Plinium) nigerrimos ac planè Æthiopicos videri facit) deformiores fingeant; qui dicta factaq; heroica deterrentes, alienis prorsus depingebant coloribus; qui Præclarissimum alioquin Principem tetrici specie induere, & sic gravem malorum sarcinam, in illius innocentissimum evocare caput moliebantur? at ubi jam degunt isti furciferi: ubi illi perditæ turpitudinis scurræ? Latitant in tenebris isti nocturni bubones, & superioris Principis hujus Optimi, præsentisq; ætatis fulgore perstringuntur. Delitescunt in latebris execrabiles, & hodiernæ ætatis fortunam, tanquã lucem illustrissimã sustinere non possunt. In quã Princeps hic Celsissimus, ac in bonorum conspectu, quorum amor est, atq; in ipsâ malorum facie, quorû flagellum & terror est, ad mirificam gloriæ sublimitatem assurrexit. In quã, redivivum se monstrat AGESILAUM, qui somnô non ut Domino, sed ut subdito, in negotiis utebatur. In quã, ut & in præsentis felicissimoq; Regimine, non cum DOMITIANO, abjectis Imperii curis, muscas in suo conclavi capit, easq; stylo ferreo configit; non cum otioso pigroq; Jove, centauros pingit in nubibus. Non cum HELIOGABALO araneas Romæ colligit, & ex tantô earum numerô, non quomodò gubernari debeat, sed quam magna sit Roma speculatur. Non se scilicet nugis rebusq; futilib9 mancipat, non Reipublicæ salutis (ad quam curandam ac promovendam à Deo per Optimo & Maxi-

Maximo vocatus est) obliviscitur; cum autem ad
 maxima sit natus, non reculis humanis, non inanibꝰ
 capitur negotiis, sed continuas pro suæ Provinciæ
 subditorumq; felicitate agit vigilas; sed totum se
 populo, totum Reipublicæ, ejusq; prudentissimæ
 impendit gubernationi. Et si Homerus finxit, Jo-
 vem Deorum Deum, diis hominibusq; dormienti-
 bus, insomnem fuisse, ac de unicô ACHILLE exal-
 tando cogitasse. Certè Celsissimus CHRISTIA-
 NUS, qui vicariâ jam, in hac Megapoli, Dei vice
 fungitur, inter alias altissimas ac cœlestes cogitatio-
 nes, hanc præcipuam, in suo heroico fovet animo;
 ut videlicet Provinciam hanc, cum tot colluctatam
 infortuniis, in pristinum fortunæ splendorem resti-
 tuat; ut præclare meritos, justô afficiat præmio, pes-
 simos verò, & ex ipsô compactos flagitiô, dignis
 compefcatur suppliciiis. Cujus Virtutes Heroicas,
 dum ad solertiozem judicii examino lancem, eò
 diutius in Palmâ immorari cogor. *Quæ inter alias exi-
 mias naturæ qualitates, (uti solertissimi naturæ scrutatores ajunt) hæc
 hanc obtinet, quod graviori pressa pondere, non solum non deprimatur,
 verum eò altius eòq; sublimius elevetur; quod deniq; uti olim
 ille generosissimus Urbini Dux FRANCISCUS
 MARIA della Rovere, palmam pro suæ in adversis
 constantiæ hieroglyphicô usurpans addere pro
 Symbolo solebat; & ut ipse Celsissimus Dux CHRI-
 STIANUS, nuperrimè, inter sapientissima asser-
 bat colloquia, Inclinata ac depressa resurgat. Ah! ut liberè,
 & in sempiternam malevolorum infamiam dicam;
 quot calamitatum onera, quot infortuniorum
 pondera, ab ipsâ juvenili ætate ad hanc fortunatissi-
 mi imperii horam, magnanimam hujus Principis
 mentem premebant? at fortissimus ejus invictusq;
 animus,*

animus, non solum fortunæ telis aut oneribus non
oppressus, sed sublimius longè, in frementem invi-
diam ad majorem nominis celebritatem est eleva-
tus. Jam jam, quò majoribus conflictatus fuit ad-
versis, quò majoribus lacessebatur jacturis, eò acrio-
ribus gloriæ stimulis, ac facibus, ad famæ exarsit
æternitatē: Et nunc in hoc Honoris cacumine, ma-
jor infortuniis, major livore, illum suâ potentissimâ
extinxit virtute; non secus ac Sol, qui si immineat
hominis vertici, aut prorsus umbram tollit, aut mi-
nimam efficit. O invictam animi fortissimi con-
stantiam! O magnanimitatem hujus Principis in-
comparabilem! pro quâ nil aliud, quam palmam,
perpetuum victoriæ insigne, in hacce Provinciâ me-
retur. Et si **ADRIANUM** Imperatorem (ut vi-
dere in plurimis licuit nummis) cum Oleæ ramo,
genuq; flexo **HISPANIA**, uti suum **RESTITU-
TOREM** venerabatur: Meretur Celsissimus **CHRIS-
TIANUS**, ut ipsum de tot in Orbe Diris, quæ in au-
gustum illius conspiraverant caput, triumphantem;
ut ipsum inquam, **MEGAPOLIS** & hæcce **UNIVERSITAS**,
cujus Magnificentissimus est Cancellarius, inflexis
genibus, velut **SUUM REPARATOREM** salutēt. Dignissi-
mus est, ut non jam **SEVERUM PIUM**, sed ipsum,
PACIS FUNDATOREM; nō jã **PHILIPPUM**, sed ipsum,
PACEM PUBLICAM; non jam **ADRIANUM**, sed
ipsum, spem augustâ, spem populi Mecklenburgici,
omnes in hac Provinciâ proclamēt, & non jam Oleâ
sed palmâ, (quam olim Victores ac Triumphatores
Orbis portare solebant,) in infractæ generositatis
præmium, in luculentum ejus de asperiori fortunâ
victoriæ documentum humillimè honorent. Sed
quò magis stupendas **PALMÆ** excutio dotes, eò ma-
jora

jora tantarum, hujus Principis Virtutum, semet offerunt monumenta, quæ reticere nullatenus possum, licet illa ipsa dicendo assequi vix valeam. *Legi nempe in Plutarcho, in illo summo eruditionis Compendio, quod aliquando, inter templi cuiusdam à CYPSELLO consecrati donaria, palma extiterit quædam & quidem aenea; ad cuius radices insculptæ fuerant Ranae, vel cum quibus illa conflictari Palma, vel de quibus victoriam reportare debebat.* Vera nè hæc sint? veritatis matri, & quæ veterem omnem continet memoriam, Historiæ scilicet, ejusq; commendo censuræ. At hæc sunt ipsa clariora luce. Quod hæcce Megapolis, utriusq; fortunæ, tam diu experta insultus, magnâ suâ felicitate, Palmam non æneam, sed vivam, sed cœlestem, quæ Divinæ in terris providentiæ, quandam repræsentat imaginem, Palmam divinô mentis munere cumulata, & è tot gloriosissimis Palmis Mecklenburgicis, ac præcipuè, ex illâ ANNA MARIA, Comitibus Frisiæ, Ducibus Holsatiæ, Regibus Sueciæ ac Daniæ Potentissimis oriundâ, tam foris ab eximiâ corporis specie, quam intus à præclarissimâ mentis indole, cum STATIRA DARII, cum ROXANA ALEXANDRI Magni cum LUCRETIA TARQUINII communi, Principe verè Excelsâ & Heroicâ, hocce, ante 35. annos, primô die Decembris enata, Celsissimum videlicet CHRISTIANUM cœleste me hercule! donarium, illiq; cœlitus communicatum invenerit. Qui quoties per Deum immortalem, infestis RANARUM, maledicorum, invidorumq; offendebatur coaxatione? quoties illæ putidissimæ ranæ, obstrepere audebant, excelsissimæ ejus, & vel ad plura Orbis gubernanda Regna progenitæ indoli? Ah! quoties, infestâ illâ coaxatione, caput ejus, Martis & Minervæ Sacrarium obtundere?

G

dere?

dere? quoties soporem, suave vitæ nutrimentum
hæ impudentissimæ, & ipsi olim Minervæ, apud
Homerum molestissimæ Ranæ, huic Optimo Prin-
cipi denegare satagebant; ut nempè vel citiori ac
præcociori succumberet fato, vel ad hoc dignitatis
patriæ culmen, quod DEUS & natura pridem ei de-
stinaverant, vix pertingeret. At quid ad hæc Prin-
ceps cordatissimus? Velut PALMA, è chalybe ac
ære conflata, futiles illas ranas, fastidiosò semper
vindicabat contemptu, nè illis suam inquinaret pu-
ritatem, vel nè voti compotes, infames has effice-
ret adversarias, si contra ipsas, vel minimam conci-
pere dignaretur bilem. Et jam, O divinæ provi-
dentiaè abyssum! nè pili quidem hæc æstimat RA-
NAS, quas nunc ex eminenti laudatissimi imperii se-
de deridens, ad cœlum ipsum, velut Palma luxurio-
sa ramorum propagine assurgit, dicens *Conscia mens re-
cti, fama mendacia temnit.* Et cum jam posset, sceleratis-
simas has, publicis etiam, in Exemplum Orbis, ma-
ctare suppliciiis Ranas; non facit; quia nullâ magis
dote, quam ergà ipsos etiam inimicos benignitate,
propius ad naturæ divinæ similitudinem accedere
cupit; non facit, quia sempiternâ oblivione, & fide-
li amnistiâ, delevit præteritorum memoriam, quæ fa-
cilius defleri, quam defendi possunt. Sed quid tan-
dem facit? Audite Auditores honoratissimi, insi-
gne hujus Principis Politici atquè Sapiientissimi ar-
tificium. Quemadmodum ille, (qui lacui, in quò
tumultuantur ranæ, facem aliquam appēdit,) repē-
tè ranas luminis fulgore percussas cōticescere facit.
Sic sic Celsissimus CHRISTIANUS, tumultuantibus
olim ac trāquillitatem animi perturbantibus ranis,
malevolis nimirū ac invidis, facem Virtutum heroi-
carum

earum, fulgorem dignitatis supremæ admovet; ad-
 movet illam ipsam lampadem, quam ab ANTY-
 RIIS, NICOLOTIS, BUREVINIS, PRIBIS-
 LAIS, HENRICIS, MAGNIS, ALBERTIS,
 ADOLPHIS FRIDERICIS accepit; admo-
 vet illam lampadem, quam novis auctam & collu-
 stratam radiis, quasi tædam ardentem, sed tardissi-
 mâ tandem, nec nostris pronepotibus notâ die, suis
 posteris ac successoribus tradet. Cujus ipsius splen-
 dore, jam mutas & stupidas reddit has impurissi-
 mas ranas; jam extinctis iisdem atq; dispersis, lon-
 gè clariorem, non solum in hoc Orbe Mecklenbur-
 gico, verum in aliis quoq; Regnis, suæ Virtutis, suæ
 gloriæ expandit fulgorem. Jam Celsissimus, ve-
 lut illa Volucris Ægyptiis sacra, Ibisq; nuncupata,
 quæ (juxta Ælianum) *ad evitandas feles, in excelsis nidificat
 palmis;* jam inquam, in Virtute Heroicâ, in altissimis
 divinisq; cogitationibus, in præclarissimis operibus,
uti ranis, ita felibus abjectissimis, lividis ac malevolis supe-
 rior mortalibus, securô, ac defæcatô ab omni metu
 animô conquiescens, clavuum Provinciæ, maximâ
 prudentiâ, habenasq; Imperii Mecklenburgici feli-
 cissimè moderatur; jam alacer & erectus, rumores
 & famam popularem nil metuit, jam surdus ad ra-
 narum feliumq; clamores, salutem publicam illis
 ipsis anteposit. Sciens rebus præclarè gestis, livo-
 rem & obtreccionem, postmodum in majorem
 cedere famæ celebritatem. Jam veluti *Palma, nun-
 quam sua* (ut Plinius recenset) *perdendo folia, & versus cælum
 semet extendendo, in ipsâ summitate* (quod mirabile) *fructus
 produccens;* jam inquam intactam & intaminatam fa-
 mæ suæ viriditatem conservando, & ad ipsum cœ-
 lum, ad ipsum cœli Deum, à cujus immensâ beni-
 gnitate

gnitate, omnis sua dependet fortuna, semet erigendo, in ipsò Honoris præsentis apice, preciosissimos Virtutum summarum progenerat fructus. Jam velut *Palma* (quod stupendum cuivis videtur) *nec crescens nec vivens, nec fructus, in illis locis, quibus Sol suam non impertit lucem, producens*; jam inquam, *Celsissimus*, solâ Divinâ gratiâ vivit & floret felicius, omnesquè fortunæ iniquioris superat tempestates. Et quamvis uti *Palma*, paulatim crescens, ad eam, summæ in Provinciâ jurisdictionis, non citius ascenderit sublimitatem; nullum tamen exindè suæ supremæ existimationis dispendium, nullum etiam suæ gloriæ ac immortalis laudis accepit detrimentum. Cum solidiora ea rerum sint gubernacula, quæ paulatim excreverunt, quàm quæ subito ad imum pervenerunt; cum præcocia quævis facilè intereant; cum deniquè res magnæ ac arduæ quæ instar longævæ durare *Palma* debent, firmioribus indigeant fundamentis. Jam velut *Palma, non ignara omnem esse à Sole lucem vigoremque sumere, continuo eum ipsum respicit, ut majus ab eodem robur, majoremque assequatur ubertatem.* Jam inquam velut *Palma, Celsissimus CHRISTIANUS*, in illò unicò supremo Sole, in illò infinitæ Majestatis Deo, pios mentis suæ oculos defixos habet, & in æternò illo Luminari, quod lucem & motum impertit Orbibus, & à quò sua augmenta ac decremента sumunt Imperia, sumunt Principes, suam intimam collocat fiduciam: Optimè noscens, se Ductore Deo, ad imperium devenisse; omnia bona, à summò illò ac beneficentissimo Sole, ab illò perenni gratiarum fonte manare; & ut *SIGISMUNDUS III. Rex Poloniae & Sueciae* piensissimus, sapientius loquebatur, *Cœlitus sublimia dari.* Jam velut *Palma, qua* (quod sanè ipsam intellectus humani
exce-

excedit mediocritatem) postquam etiam sub vegetabili humore, matrisque sua terra nutrimento destituitur, adhuc suam retinens naturam, quasi viva & non emortua, adversus pondera resurgit. Jam inquam, velut Palma, Celsissimus Dux CHRISTIANUS, pietate, Virtutibusque Heroicis suffultus, nunquam, quoad nobiliorem illam partem (quæ solutâ corporis contagione, cœlo & sempiternæ redditur gloriæ) mortis situ ac squalore conficietur, sed lætissimâ amœnitate, etiam dum mortis ictu (quod tardissimè votis nostris eveniat) excisa concidet, adhuc rerum laudabiliter gestarum memoriâ vigebit, & post longam etiam mortis brumam; uti floridissima Palma, quâ Augustissimum ejus Caput exornare hodiè volui, decus retinebit. Cujus, ego, hodiernum ac felicissimum diem natalem, submissâ veneratus religione. Nil jam ardentius voveo, quàm ut DEUS Optimus Maximus, Omnium effector & moderator, clementissimè faciat, ut huic Celsissimo Principi, quem è tot infortuniis ac periculis, suâ immensâ eripuit providentiâ, prospera omnia, digna videlicet Virtutibus ejus Heroicis contingant, & ut æternæ sint ac perennes ipsâque PALMâ viridiores atque durabiliore, pulcherrimæ illius Virtutes. Voveo, ex ipsò cordis penetrali, ut Divinâ illâ, quæ semper scaturit Bonitate, & cui una summaq; potentia est PRODESSE, permittente; ut inquam Serenissimus ac Celsissimus Princeps Duxque CHRISTIANUS, quidquid prioris temporis furor, fortunæque iniquitas, in Megapoli concussit, suâ Virtute in locum pristinum restituat ac reponat; ut velut sydus cœleste, quod præcipitata in profundum ac demissæ in tenebras Provinciæ huic refulsit, æternum luceat; ut denique nullâ injuriâ

H fortu-


fortuna, à communi bono lætitiâque depulsus, uti
Conditor & Parens Megapolis, uti publicæ prospe-
ritatis procurator, uti virtutum omnium Restau-
rator, uti ingens Provinciæ & Orbis ornamen-
tum, diutissimè ac felicissimè incolumis, in Orbe
superfit.


(Ultimum ALLOQUIUM ad Musas)

*Vos autem Musæ, animorum moderatrices & Domine, in immorta-
lem Serenissimi ac Celsissimi Principis nostri, hodièq; antè 35. annos feli-
cissimè nati gloriam, sub cuius veluti Herculis Musagetis tutelâ ac cle-
mentia, jucundissimè florebitis, castissima vestra (obsecro) reiterate gan-
dia, & in gratissimæ mentis, pro tam honorificâ præsentia testimonium,
hujus Honoratissimi Confessus, antequam hinc ad seriora secedat
negotia, aures & animos suavissimè oblectate.*

SOLI DEO GLORIA.







Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838759875/phys_0036

Mecklenburg
Vorpommern



fortuna, à communi bono lætitiæque depulsus, uti
 Conditor & Parens Megapolis, uti publicæ prospe-
 ritatis procurator, uti virtutum omnium Restau-
 rator, uti ingens Provinciæ & Orbis men-
 tum, diutissimè ac felicissimè incolun-
 be
 superfit.

(Ultimum ALLOQUIUM

*Vos autem Mæsa, animorum moderatrix, in immorta-
 lem Serenissimi ac Celsissimi Principis m-
 cissimè nati gloriam, sub cuius veluti-
 mentia, jucundissimè florebitis, casti-
 dia, & in gratissima mentis, præd-
 huius Honoratissimi Conse-
 negotia, aures & cetera, in hinc ad seriora secedat
 ssimè oblectate.*

DEO GLORIA.

